

laris sive avem aspexeris, si Chaldaeum si haruspicem videris, si fulserit si tonuerit, si tactum aliquid erit de caelo si ostenti simile natum factumve quippiam; quorum necesse est plerumque aliquid eveniat, ut numquam liceat
5 quieta mente consistere. perfugium videtur omnium 150
laborum et sollicitudinum esse somnus. at ex eo ipso plurimae curae metusque nascuntur; qui quidem ipsi per se minus valerent et magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent, nec ii
10 quidem contemptissimi sed in primis acuti et consequentia et repugnantia videntes, qui prope iam absoluti et perfecti putantur. quorum licentiae nisi Carneades restitisset, haud scio an soli iam philosophi iudicarentur. cum quibus omnis fere nobis disceptatio contentioque
15 est, non quod eos maxime contemnamus, sed quod videntur acutissime sententias suas prudentissimeque defendere. cum autem proprium sit Academiae iudicium suum nullum interponere, ea probare quae simillima veri videantur, conferre causas et quid in quam-
20 que sententiam dici possit expromere, nulla adhibita sua auctoritate iudicium audientium relinquere integrum ac liberum, tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam eaque inter nos, si tibi Quinte frater placebit, quam saepissime utemur. 'Mihi vero' inquit ille 'nihil
25 potest esse iucundius'. Quae cum essent dicta surreximus.